Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26050
Copyright: Admont, Benediktinerstift



numera dona debeat. et infinita beneficiorum eius genera comparare.
Sit licet excellens hominum meritum sit naturae iura conseruans. sit legum
iussis optemperans. impleat fidem. iusticiam teneat. uirtutes exerceat. dampnet
uicia. peccata repellat. exemplum semet imitantibus prebeat. si quid gesserit
paruum est. quicquid fecerit minus. omne enim meritum breue est comparatione
donorum. Numera beneficia si poteris. et tunc considera
quod mereris. Cum beneficiis celestibus tua facta perpende. cum diuinis
muneribus actus proprios meditare. nec dignum te iudicabis. eo quod fueris.
si intelligas quod mereris. Igitur de beneficiis innumeris diuina
in te pietate collatis elige quod libuerit unum. huic tuum compensari
totum non poterit meritum. Ceterum obtunditur sensus confunditur
animus. spes perturbatur. si ab homine dinoscatur. nec humana poterunt
pensari obsequia si diuina compares beneficia. et tamen de
illo loquimur: qui semetipsum peccare non patitur qui iudicium suae mentis
examinans contendit ut placeat. ut promereatur instat ut
seruiat elaborat. Ceterum quem aut peccare delectat. aut propriae mentis
segnitia. aut inconsiderati actus. aut uanitas uitae. sic mancipat
uitiis ut sit materia delictorum minister culparum seminarium peccatorum.
iste in se duplex scelus et geminum crimen admittit. et quod debita
non reddit obsequia. et quod innumera beneficia. peccando eius
pensare nititur contumelia. Quare nitatur iustus merita propria beneficiis
celestibus coequare. nitatur et peccator uitia que exercebat
horrere. Ille augmentis sancte uitae increscat. hic peccata dampnando
iusticiam quam non amabat exerceat. iustus meliorata uita proficiat.
peccator corrigatur ut uiuat. ille bonus tribuat. salutare exemplum.
hic malis ostendat correctionis remedium. ille premia
meriti sancti expectet. hic supplicia semet corrigendo declinet.
Sic fit ut et iustus gloriam bene uiuendo acquirat. et peccator correctus
indulgentiam diuina pietate PERCIPIAT.

DOM. IN LX. SERMO IOHIS. EPI.